

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatae

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio X. De Devotione Collationis Beneficii, si non fiat Provisio intra
tempus à Jure præfixum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS X.

De supplenda Negligentia Prælatorum.

DECISIO X.

De Devolutione Collationis Beneficii, si non fiat
Provisio tempore præfixo à Jure.

SPECIES FACTI.

IN urbis vicinæ Collegiata Ecclesie Insigni vacare coepit anno 1700. mensie Aprili Beneficium Parochiale, vel potius Vicaria Perpetua, Canonicatui annexa, ad quam jus præsentandi duobus certæ cūjusdam Perillistris Familia Senioribus, jus verò instituendi præsentatum Capitulo præfata Ecclesia Collegiata competit ex indulto Sedis Apostolicæ. Duo illi Patroni non erant concordes in præsentatione; unus enim præsentavit Cajum, alter Titium. Quapropter Cagus recurrit ad Sedem Apostolicam, & indè gratiam pro præsentato impetravit, sed cum claulula commissoria, qua Ordinarius fuit deputatus, ut justificationem Narratorum & Examen in se fusciperet, ac postea, prout inventisset, daret executioni. At eo moras necente Cajus à denegata iustitia appellavit Romam, quo pacto Vicaria hæc facta est litigiosa apud Se-

dern. Interea fluxerunt 4. mense, Patronis Laicis de Jure ad præsentandum concessi, quibus elapsis devolvitur collatio ad Superiorum, ad quem pertinet Institutio. Unde Titius amissio jure, quod ex præsentatione unius Patroni quoquo modo adeptus erat, prætenso jure devolutionis ab Ordinario, seu à Vicario Generali Episcopi Vicariam sibi liberè consenserit, eò quod duo Patroni intra temporis sui limites non conspiraverint, & obtinuit. Verum, quia hæc collatio tanquam nulliter facta à Cajus impugnata fuit, & per annos complures suspensa, usque dum ipse interea Doctoratum, cuius per specialem Bullam Pontificiam ad hanc Vicariam requisiti defectus eum prius inhabilem reddiderat, confecutus de novo Roma institut, ut sibi, cùm neutri adhuc jus ullum sive ex præsentatione sive ex devolutione esset quæsum, ista Vicaria

Vicaria cum Canoniciatu clementissimè conferetur; idque post 20. & amplus annos, quibus lis hæc duravit, obtinuit, & in illius tandem possessio-

nem mitti jussus est. Omissis aliis, quæ neque hoc neque ad nos pertinent, examinatur tantum

Q U A E S T I O.

An Titius ex prætenso jure devolutionis collationem Vicariæ ab Ordinario validè obtinuerit?

Affirmandum videtur I. ex c. 1. verò 12. de Jure patron. ubi, si Patroni Laici sînant elabi tempus, eis ad præsentandum præscriptum, sine præsentatione facta, permittitur Episcopo liberè providere, & quidem per integrum semestre à die habitæ notitiæ. gl. in Clem. 1. de suppl. neglig. Barbosa de potest. Epist. p. 3. alleg. 72. n. 108. Quando enim constat, Ecclesiam vacante esse patronatam, & Patroni in præsentando non convenienti in præsentando, labitur tempus datum ad præsentandum, & tunc ex devolutio- ne Episcopus liberè eam confert. c. 3. de Jure patr. Vivianus de Jurepatr. p. 2. lib. 7. c. 3. n. 11. Id quod 2. roboretur ex ratione; quia ad Episcopum per se pertinet collatio omnium Beneficiorum suæ diaœcis. Text. & DD. in c. 16. de Offic. Ord. c. 3. de In- sit. c. 12. §. fin. de heret. nisi nempe probetur, ad alium speclare collatio- nem Jure speciali, vel impedimentum ex jure patronatus alicui concessu ob- ster: unde, si hoc impedimentum juris præsentandi lapsu temporis tollatur, ad Episcopum pertinet providere jure Ordinario, & non ad alium, cum

(R.P. Pichler Decisiones.)

habeat intentionem fundatam in Jure, per Jura cit. Dein. 3. Non obstat, quod Capitulo competat jus instituen- di in præsenti casu; nam & ipsum Ca- pitulum intra semestre sibi concessum non usum est jure suo, nec providit intra illud tempus, quo habuit libe- ram collationem hujus Vicariæ in casu, quo Patroni intra sui temporis limites non conspirârunt: sed inferiore, ad quem primitus facta est devolutio, intra temporis sui limites non providen- te, fit nova devolutio ad Superiorem immediatum, cùm fieri debeat grada- tim, c. licet b. t. c. 2. de concess. Præb. Rebuff. in Praxi. tit. de devolut. n. 7. Azor Inst. Mor. p. 6. l. 2. c. 27. Garc. de Benefic. p. 10. c. 3. n. 10. Barb. alleg. 58. n. 10. seq. Vivian. p. 3. l. 14. c. 6. n. 17.

27. ubi ponit hunc casum per modum exempli: Alexander Lanfreduccius

Patrius Pisanius est patronus Laicus

Capellaniæ seu Altaris S. Matthæi A-

post. & Evang. siti in Primitiali Ec-

clesia Pisana, qui eveniente vacatione

habet quadrimensire, à die scita vaca-

tionis, ad præsentandum coram Ca-

pitulo Pisano habente jus instituendi,

quod si non fecerit præsentationem,

L

&

& labatur dictum quadri mestre, devolutio tunc fit ad Capitulum, quod infra semestre à die scitæ devolutio-
nis eandem Capellaniam conferre debet, alias dicto semestri elapso, & di-
ctâ Capellaniâ non collatâ, devolutio
fit ad Illustris. D. Archiepiscopum Pi-
fanum, qui pariter intra aliud se-
mestre à die scitæ devolutio-
nis ad se fa-
ctâ Capellaniam conferre debet, &
tunc si collatio non fiat, & labatur
dictum semestre, devolutio fit ad sum-
mum Pontificem, cui nullum est præ-
fixum tempus ad conferendum Be-
neficia. Ita Vivianus n. 27, cit. At-
qui Superior immediatus Capituli Col-
legiatæ Ecclesiæ est Episcopus: ergo,
licet ejus collatio in semestri Capituli
facta non substiterit, subsistet tamen
collatio postmodum facta intra pro-
prium semestre, & quidem jure de-
volutio-; continuâsse enim animum
conferendi censendus est, usque dum
proprium semestre incepit, intra
quod conferre potuit.

Hic tamen non obstantibus, nisi alia
pro se fundamenta, quam quæ mihi
ex communicatis comperta sunt, ha-
buerit pro se Ordinarius, censeo ejus
collationem prætenso devolutio-
nis jure attentatam non substítisse. Moveor
ad ita sentiendum exinde, quia tem-
pore, quo Ordinarius uti voluit jure
devolutio-; nulla adhuc ad ipsum
facta erat devolutio-; siquidem Patro-
nis non præsentantibus, vel non con-
spirantibus in præsentatione intra tem-
pus sibi præfixum, devolvitur jus con-
ferendi Beneficium ad illum, penes

quem fuisset jus instituendi presenta-
tum, si præsentatio debito tempore
fuisset rite facta, per c. 3. § fin. b. t. c.
2. § 8. de Concess. Præb. c. 41. de Elec.
Garc. c. 3. cit. n. 9. Barbola alleg. 38.
cit. n. 18. Lambert. de Jure Patr. l. 2.
p. 3. q. 2. a. 8. Vivian. p. 2. l. 12. c. 3.
n. 7. cum Rota decis. 6. de Jure patr. in
novis. Sed jus instituendi in Vicaria
& Canoniciatu, de quibus hic est ser-
mo, competit Capitulo Ecclesiæ Col-
legiate: ergo ad istud pertinebat
conferre jure devoluto, & non ad
Ordinarium. Cum ergo Ordinarius,
antequam ad se fieret devolutio, præ-
properè contulerit, collatio ex jure
devoluto fuit nulla, quia tunc nulla
conferendi potestas fuit penes ipsum.
Felin. in c. cum ex Officii de Prescript. n.
37. Azor. p. 2. l. 6. c. 27. quæst. 6. Garc.
lo. cit. n. 31. Passerin. de Elec. c. 31. n.
52. Rota decis. 10. de jure patr. in anti-
quis. Neque ista collatio successu tem-
poris, quo postmodum devolutio ad
Ordinarium pervenit, convalebit, sed
manet irrita, nisi de novo fiat collatio.
Rebuff. in Praxi tit. de devolut. n. 31.
Azor. lo. cit. & his testibus sic opinan-
tur omnes in c. 2. de Præb. in 6. nam
non firmatur tractu temporis, quod de
jure ab initio non subsistit. c. 18. de R. J.
in 6. Imò, licet Episcopus potuisse
jure proprio conferre, ignarus tamen
contulisset jure devoluto, antequam
ad ipsum fuisset jus devolutum, non
valeret collatio. Rebuff. n. 52. quia,
quod noluit, potuit, & quod voluit,
implere nequivit. c. cum super de Offic.
deleg. § 1. multum C. si quis alteri vel si-
pi:

bi: quamvis oppositum in hoc casu magis placeat aliis, quia tali casu se-
culet, quod potuit, si non fecisset,
quod voluit. Azor, *quest. 15. lo. cit.*
At pro casu, quo non jure proprio,
sed devoluto ante devolutionem ad
se factam consert Episcopus, nemo
collationem habet pro valida.
Ad opposita sic responderi potest.
Ad I. Illa Jura & Doctores suppo-
nunt, jus instituendi præsentatum per-
tinere ad Episcopum: quo casu uti-
que ipsius esset conferre beneficia, si
præsentatio intra debitum tempus de-
bet non fiat. In præsenti autem jus
instituendi pertinet ad Capitulum
Collegiate Ecclesiarum, & hinc devolu-
tio primus fit ad istud, & isto per
semestre non conferente primū ad
Episcopum; cùm devolutio fiat gra-
datim, & ad immediatum semper,
atque in beneficiis Patronatis imme-
diata ac primò ad habentem jus in-
stituendi: qui igitur prius uitetur jure
devoluto, antequam sit ad se devo-
luto, nulliter agit, utpote agendi
potestate destitutus. Ad II. Sicut
collatio libera in Episcopo impeditur
per concessum alteri jus patronatus,
ita devolutio prima ad eundem impe-
ditur per jus instituendi concessum
alteri: & hinc collatio ex jure de-

volutu ad ipsum non pertinet, nisi
habens jus instituendi fuerit negligens
& per negligentiam elabi sinat suum
semestre. Ad III. Elapso semestri Ca-
pituli, intra quod præproperè, licet
probabiliter ignarus, collationem fecit
Episcopus, postea vero novam non
addidit, idcirco nullam fecisse colla-
tionem censetur, quia prior non
convaluit. Imò post elapsum Capi-
tuli semestre nec potuisse novam fa-
cere collationem viderur Episcopus,
eo quod interea Beneficium sit fa-
ctum litigiosum, imò & affectum, cùm
Papa dederit Cajo gratiam pro præsen-
tato, & iste appellaverit à denegata
justitia ad Sedem Apostolicam. Quo
casu nec Patrōno præsentare de novo,
nec Ordinario uti devolutionis jure
licuit, sed quando Beneficium est fa-
ctum litigiosum, vel Papa manum
apposuit, collatio spectavit ad Pontifi-
cem. per o. 2. ut lite pend. in 6. Lotterius
de re benef. lib. 2. q. 20. n. 3. 4. Card.
de Luca de jure patr. disc. 67. n. 2. Ro-
ta decif. 268. p. 6. in novis. sicut enim
jurisdic̄tio Ordinarii, ita & potestas
circa beneficia, quando causæ pendent
in tribunali Romano, devolvitur ad
Sedem Apostolicam, vel ad Auditio-
rium Rotæ Romanæ. Clem. Auditor.
3. de Re scriptis.



L 2 TITU-